



CATALOGVS  
PRAELECTIONVM

PVBLICE ET PRIVATIM  
IN ACADEMIA IVLIA

WIRCEBURGI

A DIE II. NOVEMBRIS MDCCLXXXV.

HABENDARVM.



Typis Francisci Ernesti Nitribitt, Typographi Academici.



## LECTIONES THEOLOGORVM.

**T**HOMAS GREBNER, Ss. Th. D. ac Histor. Ecclesiast. Prof. P. O. Fac. Th. Senior, dieb. consuet. hor. III - IV. pomerid. in Aud. Theolog. explanabit *Historiam Ecclesiasticam Vniuersalem et Pragmaticam ex Breuiario LAURENTII BERTI* una cum Obseruationibus Criticis, quae ad Legum Ecclesiasticarum origines Concilia et Haereses subortas, Dogmata, Scripta Patrum, Hierarchiam ac Disciplinam Ecclesiae pertinent. *Priuatim* tradet *Historiam Imperii Romano-Germanici* ad usum varii iuris sacri et profani, exponet *Diplomaticam et Numismaticam* praesertim de *Franconia*; addet porro ea, quae ad statum Religionis et Ecclesiae spectant particularem tum in Germania, tum in Franconia per Dioecesin Wirceburgensem vsque ad hodiernum S. Burchardi successorem LXXX. Episcopum.

GEORGIUS FRANCISCUS WIESNER, Ss. Th. D. et P. P. O. sacrae Fac. h. t. Decanus, primis aliquot anni mensibus a medio IX. per horam tradet *Isagogen Encyclopaedicam* in vniuersam Theologiam. Reliquo anni tempore materiam *Dogmaticam de Deo Trino et Incarnato* iuxta ductum LVDOVICI HABERTI ead. hora tractabit, atque aduersus veterum et recentiorum hostium conatus ab erroribus vindicatam exponet.

FRANCISCUS OBERTHÜR Ss. Th. et V. I. D. Th. Dogm. et Polem. Prof. P. O. materiam de *Sacramentis in vniuersum*, et de omnibus in specie ex HABERTO tractabit mane a med. VIII. ad med. IX.

ANTONIUS ROSSHIRT, Ss. Th. D. Theol. Moral. Prof. P. O. a med. X. praemissis Prolegomenis de *Natura, Praestantia, Fontibus, Subidiis et Historia Theologiae Moralis* primo semestr. officia hominis christiani erga proximum tum absoluta, tum hypothetica explicabit, altero semestri Theologiam pastorem tradet.

ADAMVS IOSEPHVS ONYMVS, Ss. Th. D. et sacrar. Scripturar. Prof. P. O. a II - III. pomerid. absolutis Prolegomenis in V. T. describet rem *Iudaeorum publicam atque vniuersum Ius Moisaicum*; dein exponet *Historiam Iudaeorum vsque ad C. N.* ad ductum librorum historicorum V. T. et IOSEPHI FLAVII.

FRANCISCVS BERG, Ss. Th. Lic. et Prof. P. dieb. Martis et Iouis ab hor. VIII. mat. vsque ad tert. quadrant. IX. *Patrologiam* exponet.

FRANCISCVS LEIBES, Ss. Th. Lic. et Prof. P. dieb. Martis et Iouis a tert. quadrant. IX. vsque ad med. X. *Veritatem Religionis christianae et catholicae* ad ductum HABERTI demonstrabit.

MICHAEL FEDER, Ss. Th. Lic. et Prof. P. dieb. Martis et Iouis med. X. *post tradita elementa linguarum orientalium, selecta textus originarii biblici capita* exponet, et ad artem criticam et hermenevticam vtriusque Testamenti manuducet.

## LECTIONES IVRISCONSVLTORVM.

IOANNES NEPOMVC. ENDRES, Ss. Th. et V. I. D. ac P. P. O. Fac. Iur. Senior, et h. t. Decanus in cursu hyemali trader consuetis hebdomadae diebus *Ius Canonicum publice* medio X. *priuatum* diebus singulis medio VIII. ad ductum ANTONII SCHMIDT *Institutionum Iurisprud. Eccles.* In aestate *Ius priuatum Canonicum publice* praeleget; ac desiderantibus DD. Candidatis eadem iterum hora praelectiones *priuatas* instaurabit.

IOS. MARIA SCHNEIDT, V. I. D. et P. P. O. per semestre hyemale publice exponet *Pandectas* med. IX., *priuatum Ius Franconicum* med. XI. Altero semestri med. IX. *Ius Franconicum publice*, medio vero XI. *Digesta priuatum* docebit: haec quidem ad filum vel HEINECCII vel HELLFELDI ordine systematico, illud vero ex Elementis a se elaboratis typoque vulgatis. Hasque suas praelectiones tam publicas quam priuatas singulis diebus prosequetur. Siqui porro sint, qui Collegium practicum et elaboratorium aut disputatorium ex Iure Ciuili desiderant, eorum votis haud deerit.

IO. BAPTISTA ALOYSIVS SAMHABER, V. I. D. et P. P. O. singulis per hyemem diebus hor. II. pomerid. publice commentabitur in IO. STEPH. PÜTTERI *Institutiones Iuris Publici*; *priuatum* med. IX. exponet *Ius Naturae et Gentium* HOEFFNERO duce vsurus. Semestre aestiuum hor. II. *Ius Naturae publice* praelegendum, *Ius vero Publicum* med. IX. *priuatum* edocendum occupabit. Qui vel *Processum Imperii* praecunte PÜTTERO aut *Ius priuatum Principum* ad normam SELCHOVII addiscere percipient, aut circa potissimas Iuris publici controuersias

lias accuratiorem notitiam desiderabunt, iis operam suam deesse non patietur.

GALL. ALOYSIVS CASPAR. KLEINSCHROD, V. I. L. et P. P. O. cursu *hyemali publice* med. VIII. tradet *Institutiones Iuris Romani*, ad librum *Heineccianum* ab HOEFFNERO auctum emendatumque; *priuatum* hor. II. *Ius Criminale iuxta MEISTERI Principia Iuris Criminalis*. Semestri *aestiuo* labente *publice* docebit *Ius Criminale* med. VIII., *priuatum Institutiones* hor. III.

IVSTVS VALENTINVS PHILIPPI, V. I. D. et P. P. per hoc semestre *hybernum* sing. dieb. Lunae, Mercurii et Sabbathi hora VIII. IX. matut. doctrinam de *Processu* ad ductum *Compendii* a CAROL. GOTTLIEB. KNORRIO editi in aedibus suis *priuatis* docebit; quo collegio absoluto deinde per semestre *aestiuum* iisdem dieb. et horis in CHRIST. HENR. ECKARDI *Introductionem in rem diplomaticam* praecipue germanicam commentabitur, et varia praeclarae huius scientiae capita practicis animaduersionibus illustrabit.

FRANCISCVS XAVERIVS STEIERT, V. I. L. et P. P. cursum *hybernum* expositione *Encyclopediae ac Methodologiae iurid.* med. XI. auspicabitur, ac deinceps finita hac in vniuersi Iuris studium introductione, docendo eadem hora *Ius Germanicum* singulis diebus prosequetur. Illic vtetur auctore AVGVST. FRID. SCHOTT; heic vero SELCHOVIO duce incedet. Eadem per *Aestatem* collegia ab ipso iterum aperientur. *Disputatorium* vel *exercitatorium* ex Iure Ciuili desiderantibus facere satis allaborabit.

PHILIPP. RVDOLPH. HENRIC. WILHELM, V. I. L. et P. P. primo semestri tradet *publice Ius Feudale* hor. III. pomerid.; *Statisticen* vero med. X. *priuatum*. Vice versa per alterum semestre med. X. *Ius Feudale priuatum*; *Statisticen* hor. III. *publicis* praelectionibus illustrabit. In illo vtetur GEORG. LVD. BOEHMERI *Prineipiis Iuris Feudalis*; in hac GOTTFRIDI ACHENWALLE: *Staatsverfassung der heutigen vornehmsten europaischen Reichen und Voelker*.

*Historiam* cuiusque Iuris, nequid facile desit, quod Iuris studiosum erudire atque ornare possit, quilibet Antecessor suis praelectionibus praemittet.

## LECTIONES MEDICORVM.

FRANC. HENRIC. MENOLPH. WILHELM, Ph. et M. D. ac P. P. O. Fac. Med. Senior hora IX. dieb. ord. in *praxin e cathedra*

---

praeleget BOERHAVII Aphorismos *de cognoscendis et curandis morbis*, praemissa doctrina *de febribus in genere*, acutos morbos per primum, chronicos per alterum semestre expositurus. Nequid vero huic penso deesse videatur, morbos, quos cursim tantum delibavit Author, latius deducet; quos vero in opere suo praetermisit, suo quemque ordine, proferet, pertractabit, remediorum e nouissime inuentorum penu vbique memor.

Diebus Merc. et Sabb. eadem hora commentabitur in BOERHAVII *Elementa Chemiae*, disciplinae medicae praepriis adaptatae. *Theoriam Artis*, vbi expediuerit, praxin suscipiet. Per aestatem insuper in *Pharmacopoeam* a se compositam commentabitur.

Hora decima in Hospitali Iuliaeo Collegium clinicum auspicabitur; quod praeuia introductione in *praxiu clinicam* sing. dieb. continuabit. Vbi in re ipsa versantem non sequi tantum, sed et sub eius ductu se praxi exercere, tyronibus clinicis omnino licebit. *Morbis itidem incurabilibus* dictis seria dicabitur opera, vt, quantum et hic ars valeat, per experimenta discatur.

*Priuatim* per hyemem methodum concinnandi formulas; per aestatem *Praxin Medicam* in commodum Medicinae et Chirurgiae studiosorum lingua vernacula exponet.

CAROLVS CASPARVS SIEBOLD, Ph. et M. D. et P. P. O. per hyemem hor. VIII. Collegium Chirurgico-clinicum continuabit. Hora IV. publice omnes partes corp. hum. anatomice demonstrabit. Hora V. *priuatim* operationes chirurgicas super cadaueribus docebit.

Per aestatem praeter continuationem Exercitationum chirurgico-clinicarum statuta hora; hora I. *priuatim* artem obstetricalem tam manua-lem quam instrumentariam, et hora III. *Chirurgiam medicinalem* publice docebit.

ADAMVS ANDREAS SENFFT, Ph. et M. D. ac P. P. O. Fac. Med. p. r. Dec. hora II. per hyemem publice leget *Physiologiam*; per aestatem vero tradet *Pathologiam* et *Semiologiam* secundum Lineas ab se proxime edendas.

IOANNES CASPARVS GVTBERLET, Ph. et M. D. ac P. P. O. per semestre hyemale hor. VIII. publice praeleget in *Pathologiam* GAUBII; per aestiuale in *Materiem medicam* CRANZII et *Medicinam forensem* FASELII.

---

---

GABRIEL HEILMANN, Ph. et M. D. ac P. P. *vere et aestat* mane hora VII. scientiam *botanicam* secundum systema Clariss. LIN-  
NEI publice demonstrabit.

GEORGIUS PICKEL, Phil. et Med. D. ac P. P. tradet *Chentiam* *theoretico-practicam* in laboratorio Hospit. Iul. secundum proprium suis Auditoribus hunc in finem communicandum ichema. *Technicos* labores in magno instituendos in suo recenter aedificato monstrabit laboratorio.

## LECTIONES PHILOSOPHORVM.

FRANCISCVS HVBERTI, Ph. D. ac Mathemat. Prof. P. O. Fac. Ph. Senior postulantibus offert dicatque *priuata* Collegia super vtramque *Matthesin* puram nempe et mixtam. Speciatim, siqui petierint, explanabit aut *Matthesin forensem* iuxta Cl. VNGERI ductum, aut Geometriae practicae praecepta; vel ad insigniorem manuducet vtriusque Globi coelestis et terrestris cognitionem; vel *Matthesin* exponet vberimis rei militaris vñibus destinatam.

NICOLAVS BVRKHAEVSER, Ph. D. et Prof. P. O. *publice* in Aud. Physic. hor. VIII. matut. ad IX dieb. consuet. *Mechanicam* et *Astronomiam* explicabit ex *Physica generali* LEOP. BIWALDI, additis, vbi opus fuerit, idoneis supplementis. Simili modo in collegiis *priuatis* tum easdem tum caeteras partes Physicae, quae communi nomine *Matheos* applicatae comprehenduntur, ex Parte II. *Matthesis succinctae* P. PHIL. STEINMEYER, vel ex quo DD. Auditoribus libuerit, libro alio exponet.

AMBROSIVS EGELL, Ph. D. et Phys. Experiment. P. P. O. Collegiis suis *publicis* praemittet ea, quae ad *Historiam Physicae Experiment.* et Methodum *Experimenta* rite instituendi pertinent; tum vero eas vniuersim *Physicae* partes, in quibus experiundi facultas est, *experimentis* illustrabit, eo ordine seruato, quem tenent eadem BIWALDI *Institutiones Physicae*, quae theoriae exponendae seruiunt. Inde a I die mens. Maii auspicabitur *priuatas* Institutiones *Physicae Experiment.* in musaeis, in quibus supellex instrumentorum seruatur.

FRANCISCVS TRENTEL, Ph. D. ac Mathes. Prof. P. O. *publice* in Aud. Logic. ex opusculis a se in vsum Auditorum suorum editis tradet ex *Mathesi pura*, *Elementa Algebrae*, *Trigonometriae*

triae planae et Sectionum conicarum. In Collegiis priuatis iisdem Elementis addet Trigonometriam sphaericam.

CHRISTIANVS BOENICKE, Ph. D. Histor. Imper. Rom. German. Prof. P. O. eandem tradet hor. III. in Aud. Iurid. ad ductum IO. STEPH. PUTTER: *Grundriss der Staatsveraenderungen des deutschen Reichs*. Priuatim eandem vii et Historiam Statuum petentibus exponet.

MICHAEL ANTON. SCHWAB, Ph. D. Phys. Theoret. et Histor. Philos. Prof. P. O. Fac. Phil. h. t. Decanus, dieb. consuet. hor. IX-X in Aud. Physic. explicabit *Institutiones Physicas* BIRWALDI de viribus et proprietatibus Corporum, de Elementis et Operationibus chemicis, de Geographia Physica, de Meteoris, de Animalibus, Plantis et Mineralibus. etc. Et hor. II-III pomerid. in Aud. Logic. explanabit *Historiam Philosophiae* NICOL. STEINACHER. Priuatim vero, petentibus *Institutiones Logicas*, commentabitur in libros IO. LOCKII de Intellectu hum. et in M. T. CICERONIS *Opera Philosophica*. In Lectionibus priuatis Physicis, *Elementa Physicae* I. CH. KARSTEN et *Elementa Historiae Naturalis* I. CH. ERXLEBEN exponet.

MATERNVS REVSS, Ph. D. theoret. et pract. Philosoph. Prof. P. O. dieb. consuet. hor. VIII-X DD. primi anni Philosophiae Auditoribus ad ductum Cl. ROESSERI explicabit *Institutiones Logicas et Metaphysicas*, *Anthropologiam et Theologiam naturalem*.

Iisdem dieb. hor. II-III DD. secundi anni Philosophiae Candidatis tradet omnes Philosophiae practicae partes; sc. *Ius Naturae*, *Philosophiam moralem et Politicam*.

Easdem theoret. et pract. Philosophiae partes petentibus ad ductum Cl. FEDERI lingua vernacula cursu semestri priuatim explicabit.

BONAVENTVRA ANDRES, Phil. et Theol. D. Eloquentiae Sacrae et Litteratur. Graec. ac Roman. Prof. P. O. dieb. Martis et Iouis primo quadrante vsque ad octauam matut., Sabbathi vero III pomerid. *Eloquentiam Sacram* in Aud. Theol.; per aestatem die et hora assignandis CICERONIS *Libros de Officio publice* leget. Priuatim leget Auctorem praecum nec non *Archaeologiam literariam et Praecepta stili cultioris ex compendio* Cl. EICHENBERG.

